PRINCEPS SABAUDIAE ET
FRANCISCUS
PEDEMONTII
EUGENIUS
MARCH. SALUZ etc.
Sereniſsimo Principi EUGENIO FRANCISCO, Principi Sabaudiae et Pedemontii, Marchioni Salutiiarum, Auguſ-
tiſsimi Imperatoris Romani Miniſtro Purpurato, Conſilii Bellici et Sanctioris Praeſidi, Exercituum Caeſareorum Duci, ac nomine
Regis Catholici Ducatus Mediolanenſis ejuſque Militiae Supremo Praefecto, Equiti Aurei Velleris: Qui Heroicae Virtutis indole
rerumque geſtarum magnitudine et Gloria, in ſublimi loco poſita, altiſsimae, e qua prognatus eſt, et regiae Domus ſplendorem
ita illuſtravit, ut in quo vulgus Principum felicitatis ſuae ac decoris ſummam collocare fere ſolet, id Ei oneri potius quam ornamento
eſſe videatur: Qui tot victoriis, tot tropaeis, quae in Hungaria, in Italia, in Germania, in Belgica Hiſpanienſi et Gallica de communibus
ac hereditariis Auguſtae Domus Auſtriacae nonſolum, ſed melioris Orbis Chriſtiani hoſtibus, vel invita ſubinde Fortuna,
ſola Virtute duce, jam inde ab adoleſcentia peperit, inclytus; quum omnes vel antiquitatis, vel recentioris aevi Duces bel-
licos ſcientia rei militaris, auctoritate, virtute, armorumque victricium felicitate aut aequet, aut ſuperet; veriſsimas
laudes non agnoſcit, recte factorum conſcientia contentus: quum ſui ſemper ſimilis praeter tranquillitatem animi in
omni vitae maxime negotioſae, et perpetuis rerum graviſsimarum fluctibus jactatae curriculo, nihil fere expetat
aut ſpectet. Qui ſicuti Terror Hoſtium exiſtit propter invictum virtutis militaris robur; ita Amor Orbis et Deli-
cium merito dicitur propter abſtinentiam, manſuetudinem, humanitatem, munificentiam. Quid? quod mitiores
etiam Muſas, in quarum ſinu a teneris fuerat nutritus, vel in caſtris et inter armorum ſtrepitum et tubarum
clangorem contubernales perpetuo habet, ac pro ingenii divini facultate doctrinam ſapientiae ac bonarum ar-
tium vere imperatoriam eſt conſecutus, quam etiam eruditiſsimi homines, quos Hercules iſte Muſagetes amat
imprimis et omni benignitatis genere ornat, maximopere non poſſunt non admirari; Hoc ſuae in Principem incom-
parabilem pietatis monumentum qua par eſt animi ſubmiſsione L. M. Q. D. D. D.
Sereniſsimi Nominis ejus Devotiſsimus Cultor
GERARDUS VALK.
M. ad Merian pinxit ad virum.
G. Valk sculpsit et excud.